



The Holy See

FRANCISCUS

*EPISTULA DATA
ANGELO S.R.E. CARDINALI AMATO*

*Venerabili Fratri Nostro
ANGELO S.R.E. Cardinali AMATO
Congregationis de Causis Sanctorum Praefecto emerito*

Spectabilis dilectaque Ceriniolensis Ecclesia a condita dioecesi ducentesimam mox est repetitura memoriam. Annalium dum monumenta nunc ipsa considerat atque priscorum hominum christianas testificationes, alacritas rursus affertur ad renovato impetu Evangelii salutares monitiones tenendas eiusque laetitiam fruendam.

Convenit igitur ac permagni refert ut eventus hic congruenter commemoretur et optimo iure extollatur. Celebratio enim haec copiam dat et facultatem non huius rei dumtaxat magnificandae, verum etiam animos ad ferventiores religionis sensum, clariorem fidem certioraque proposita concitandi. Itaque sicut Ecclesia Ceriniolensis quondam felix ingressa est iter ut, divina suffragante gratia, uberem profectum assequeretur, ita nunc eadem vestigia persequens sectansque vera et propria hominis bona, vel insigniorem obtineat spiritalem prosperitatem.

Postulatis idcirco Venerabilis Fratris Aloisii Renna, Episcopi Ceriniolensis-Asculani Apuliae, subvenire cupimus, qui a Nobis fidenter purpuratum Patrem flagitavit ad sollemniter recordationem illam celebrandam, ducentis scilicet exactis annis a Ceriniolensi constituta dioecesi, dum optamus ut congruae exstant hodiernae condiciones ac salutaria consilia, quo ubiores fructus eventuro de tempore ipsa fundat.

Quocirca ut ritus hic spectabilius efficaciusque evolvatur, ad te, Venerabilis Frater Koster, cogitationem convertimus, qui illius regionis inclitus es filius ac praclaris hominibus clarificandis studiose impendisti operam, quique prorsus idoneus occurris ad ministerium hoc praestandum et

luculenter explendum. Itaque permagna moti affectione, te Nostrum Missum extraordinarium renuntiamus et constituimus ad sollemnem ritum ilium Cerauniliae in cathedrati templo sancta Petro Apostolo dicato die XIV mensis lunii agendum.

Universis igitur participibus fidelibusque inibi voluntatem Nostram benignam ostendes, ac pariter cohortationem ad pristinam illam pietatem repetendam tenendamque, cunctis suam operam navantibus. Omnibus Nostro nomine auctoritateque Benedictionem Apostolicam impertas volumus, quae sit animorum renovationis signum et supernarum gratiarum documentum, ab omnibus pro Nostro Petrino munere frugifere absolvendo simul preces petentes.

Ex Aedibus Vaticanis, die XV mensis Maii, anno MMXIX, Pontificatus Nostri septimo.

Franciscus